



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

2. Materia Sanctissimi Sanguinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Materia dubia Consecrationis Sanctissimi Corporis.

13. Panis ex Typsa, seu Centeno, Panis ex Spelta, quā Zeam, seu Alicam, vocant aliqui, Panis ex Siligine illa, quam ad Centenum pertinere nonnulli dicunt, valde dubiam Doctores citati, & passim materiam afferunt, quia multum ambigitur, an hæc sint Frumentum verum. Hic etiam reduco, quem nos sermanum vocamus.

14. Dixi (Siligine illa, &c.) Si enim nomine Siliginis intelligas, ut aliquos intelligere testatur Granad triticum selectum, seu candidum quod ab aliquibus Italis vocatur *Grano gentile*, ab aliis, *frumento bianco*, & fortasse correspondet alicui speciei nostræ Maiorchæ, seu Rocellæ, de qua supra n. 2. diximus, si inquam frumentum est, apertissima est materia.

Sane Plinius lib. 8. c. 18. ait Siliginem esse delicias Tritici, & Galenus lib. 1. de ciborum facultatibus, c. p. ait panem ex Siligine, esse panem perfectissimum, seu perfectissimum alimentum.

15. Panem ex cremore Tritici, quem appellamus *Amidum*, valde item incerta materia est, quia ut *Amidum* fiat, corrumpi debet farina Tritici.

16. Panis ex Tritico misto notabiliter cum aliis seminibus, vel cum colore rubro cinnabari, quo solemus ut ad litteras consignandas, vel cum saccharo, vel melle quos *Musciacoli* vocamus, semper erit incerta materia, quia quando mistio est in quantitate notabili, semper est dubium, an res sit absolute hæc, vel illa ex mistis; At si sit in modica quantitate, tunc, cum parum pro nihilo reputetur, non distrahatur res ad aliam speciem; quare erit consecrabilis.

17. Dubio tamen merito de aliquibus, etiam in quavis modica quantitate. Quis enim acquiescet Leandro de Euch. d. 8. q. 16. indicanti esse panem usum, Hostiam rubram, quamvis modico cinnabari imbibitum? Non ita panis, cui modicum v. g. saccharum sit immixtum; cum enim sic adhuc comestioni humanæ sit aptus, & ex alia parte ea parvitas, ut supponimus, illum non moveat à suo esse, non erit ad consecrationem ineptum. Illicitus autem certe erit, quia est extra usum Ecclesiæ.

18. An autem in hoc casu exiguae mixtionis illa pars modica intermixta, substantia, v. g. illa modici sacchari, ut etiam lapillus, terræ pulvisculus, vel granum hordei militis, similique generis, siue integri, siue confusi convertantur, necne in Corpus, vel Sanguinem Christi Domini simul cum massa, cum qua facit unum, ad Theologos speculativos, ut sunt Suar. Vasq. Gran. alique citati, à Leandro de Euch. d. 8. q. 10. enodare pertinet.

19. Panis ex vero Tritico confectus nō cum aqua, sed cum aliis humoribus, cum aqua rosacea v. g. vel succo alicuius herbæ, valde dubia materia est, quia inde panis usualis confici non videtur. Excipe nisi satis parva fiat mixtio liquoris alterius cum aqua naturali, nam tunc idem dicendum esset, quod modo in simili dictum est.

Panis, qui bis est coctus, quem absolute Biscoctum appellamus, aliquis inter materias dubias connumerare posset, sed certe panis est absolute, quia iterata ea coctio, illum non extrahit ab usuali pane, quare materia dubia non est consecrationis, sed certa.

§. II. De materia Sanctissimi Sanguinis.

Materia certo apta.

1. Vinum de vite, & quidem omne, siue album, siue rubrum, siue ex una regione siue ex alia, siue ex natura sua debile, siue (quod adhiberi pro sacrificio semper est convenientius) ex se generosum. Notat autem Vasq. 3. p. d. 175. apud Leandrum tractat. 7. de Sacr. 47. quest. 25. Licet vinum rubrum ratione coloris magis assimilaretur sanguini, idemque vinum rubrum in Scriptura solet vocari sanguis vite, unde propter hoc convenientius videatur poni in Sacrificio, tamen absolute convenientius est, propter munditiam, album.

Pars III.

2. Mustum item, teste S. Th. 3. p. 9. 74. art. 5. & habetur in c. Omne Vinum, de consec. d. 2. id est liquor ex uvis recenter expressum, apta est materia, licet illicita, propter consuetudinem Ecclesiæ, &c.) quia est in substantia vinum & quidem potabile, licet non sit plene purgatum, seu decoctum. Excipe quoad illud de illicito usu necessitatem dandi Viaticum, vel quid simile. Excipit etiam Leander l. c. q. 33. festum Transfigurationis, ubi consuetudo viget eo die consecrandi in musto.

3. Vinum congelatum, non solum postquam sit liquefactum, verum etiam dum est actu congelatum, l. 2. Opus. de Sacr. Missæ, c. 8. §. 8. a. n. 8. sustinui esse materiam consecrationi idoneam, quia ex se, & natura sua est potabile. Retinge locum; nam plura minutiora ad huius rei praxim ibidem invenies.

4. Vinum aqua, vel alio humore satis modico mistum, apta est materia, quia sic non amittitur, nec substantia vini, nec demonstrabilis vini, per illud *Hic est Calix*, &c. Sicuti in simili dictum est modo §. precedente.

5. Vinum ex se acidum, cum vere sit vinum, apta est materia. Imo licet cum peccato, valide tamen in rigore Consecratio fieret in vino, quod incipit acescere, seu in acetum abire, si ad huc vere est vinum, quod palato, imò & odore recte distinguere norunt aliqui, vide mox n. 10.

Materia certo inepta ad consecrationem Calicis.

6. Vinum ex pomis, vel aliis rebus, quam ex vite, Mustum item in uvis existens, Agrestium item, vel liquorem ex eadem expressum, quod Omphacium appellamus, ineptam materiam ad Consecrationem certo pronunciamus, quia nec vere vinum sunt, nec sunt ullo potabilia.

7. De guttula non sensibili, quod apta non sit, collige ex dictis §. præced. n. 12.

8. Vinum imbibitum in pane, non est apta materia, quia non potest de illo absolute dici, *Hoc est vinum*, sed potius, *Hic est panis*, nam propterea, hunc panem vino madefactum esse materiam Sanctissimi Corporis, ibidem dixi num. 6. Adde vinum in pane imbibitum valde assimilari musto in uvis existenti, quod modo ineptum esse consecrationi, sine ulla controversia, docuimus omnes.

Liquor expressus ex uvis passis (quidquid dicat Amicus in cursu Theol. tom. 2. d. 16. sect. 3. n. 3. Diana p. 7. r. 12. resol. 8. apud Amedeum contra Anonym. de Euch. proposit. 3.) non est apta consecrationis materia. Ratio non debet esse illa, in qua prædicti putant, nos inniti, sed quia hic liquor, seu succus, nec est ullo modo vinum, nec Mustum. Sicuti enim Sapa, quod nos vocamus Mustum coctum, seu vinum coctum, quia est decocta à Musto, deperditis fere omnibus partibus subtilioribus, nec vinum, nec mustum est, unde nec computanda inter potabilia, sed comestibilia, ut ego supposui lib. 4. in Decal. c. 3. §. 2. num. 5. in Tractatu de Ieiunio; ita succus ex uvis passis, adeo ficans, & decoctus est, ut nullam vini, vel musti potabilitatem servet, sicque potius dicitur sapa, si milis, quam vino.

Materia dubia pro Calicis consecratione.

9. Vinum, quod conditur aromatibus, & huiusmodi rebus, semper est, si non sit satis modica immixtio materia dubia, quia semper timetur, an aromata adeo sint valida, ut vinum extrahant, si non à substantia vini, certe à denominatione absoluta vini, ut non possit dici, *Hoc est vinum*, sed abeat in malsum, quo veteres olim utebantur.

10. Pro dubia etiam materia habet saltem quoad praxim vinum illud, quod in acetum iam abire comprehenditur, quia quāvis, dixi num. 5. aliqui dignoscant an adhuc sit vinum, tamen semper timendum est, ne in acetum corruptum, iam penitus substantiam vini amiserit.

11. Quid fiet si ante vel post Consecrationem Sacerdos advertat pro vino appositum fuisse acetum in Calice, vel quam, satis dixi in Op. de Sacr. Missæ, l. 2. c. 8. §.

CAPVT